



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10261**

De S. virgine & martyre Marina, seu Margarita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

MARTYRIUM SANCTAE ET EGREGIAE ET  
CVRATIONVM VIRTUTE PRAEDITAE MARTYRIS

*Marinae, quam Latina Ecclesia Margaritam vocat. Habetur autem in  
Simeone Metaphrasae capitula margini adiecimus.*

20 Iulij.  
Cap. 1.



Nihil aequè lætificat & exhilarat animā bonam & fidelem, vt quod victoria pōitorum athletarum legitur martyrium, & eo magis delectat auditorem, quo meliorem habuerit compositionem, aptamque & probabilem narrationem, & ea recensentem, quæ & persecutoris improbitati, & eorū, qui decertabant, animi magnitudini, quin etiam eius quoque, qui vnā decertabat, Christi potentia apta sint & conuenientia. Sit nanque oportet omni ex parte eiusmodi, vt & nihil habeat offensionis, & relictis auribus ostendat credibilem.

Sanctorum  
historia  
quædam ab  
impijs con-  
taminata.

Etenim scire oportet, non paucas ex ijs, quæ martyrum res gestas cōtinent, narrationibus, ab initio fuisse adulteratas, vt quæ à gentilibus forte, aut ab hæreticis, & profanis, & veritatis intelligentia priuatis viris corruptæ, & aut nugis & vanissimis ineptijs sordidatæ ac conspurcatæ, & euidentissimis demoniorum doctrinis, prauæque, ac sceleratæ mentis execrandis figmentis profanata; & ad Christi & Sanctorum eius contumeliam compositæ fuerint. Et ideo fidem decetero ad eò labefactant, & tantum ei detrimenti afferunt, vt propterea ne verissimis quidem deinceps assentiantur, sed aut omninò ea rejiciat ac repudiet, aut, vt quæ sint dubia, despicat, & ea minoris faciat. Quomodò etiam egregiæ virginis & Martyris Marinae quædam hostis nostri contumelia fuit adulteratum martyrium, verè per passionem eius narrationi, tanquàm puro frumento, à communi omnium inimico iniectis zizanijs, illo, inquam, dæmone, qui illic fingitur fuisse in medio eius certamine, & illius vocibus, ad eò vt qui audiunt, attendentes quàm sit ridicula & absurda dictio illa dæmoniaca, dubitent de ipso quoque martyrio egregiæ victricis Marinae. Etenim qui adhuc viuos Iesu martyres inuasit, & eos morte afficiendi insatiabili tenebatur desiderio, nihil mirum, si postquàm excefferunt ad Agonothetam, & sunt pronunciatii victores, eorum gloriæ conetur insidiari per impios, qui falsa loquuntur, admiscens mendacia sanctorum rerum gestarū commentarijs. Inanes ergò omnes fabulas & nugas, tanquàm maligni ludibria, illius mystis abiciens, solis autē veris præclaræ huius martyris tam in verbis quàm in factis decertationibus sub ea, quæ cōsistit, veritate illuminatæ, mentem adhibens, breuemque orationē, & quæ nihil superuacanei contineat, componens, sic magnæ & præcipuum nomen sortitæ Marinae ordine prosequar decertationem.

Cap. 2.  
S. Marinae  
patria & pa-  
rentes,

Hæc ergò beata puella Marina, fuit quidem ex ciuitate Antiochia Pisdia; parentibus autem, quòd ad corpus quidem attinet, claris. Filia enim erat Aedesij, qui fuit illis temporibus vel maximè insignis sacerdos idolorum. Cùm autē esset vnica, quoniam matrē citò mori contigerat, extra ciuitatem ad quindecim miliaria tradita fuit alenda eius nutrici. Cùm verò etate cresceret, & honestate morum, intelligentiaque & prudentia supra etatem proficeret, & honorificè à sua nutrice aleretur & educaretur, audiuit verbū fidei Christi, & id statim in sua defixit cogitatione. Quæuis enim bona anima promptè suscipit eos, qui de bono sunt, sermones, & eo citius, quo est meliori ingenio prædita, aut fide acriori. Marina ergò cùm esset adhuc admodum iuuenis, mollisque & delicata adolescentula, vt corpore speciosa & omni ex parte pulchra, ita etiam mente & anima valdè bona, postquàm solum audiuit Deum bonum, & qui verè est & viuus, pro salute hominum ex puella coniugij experte natum hominem, crucifixumque & sepultum fuisse, & resurrexisse, & cùm ad cælos hominū naturam sustulisset, eam consensu paterno honorassè, statim corde credens, ore quoque est confessà se esse Christianam. Et sic indes in Dei filium confessione & fide proficiens, optabat Christi confessorum effici particeps & socia.

Fidè Christi  
confitetur.

Cap. 3.  
Aedesius  
eius falso  
nomine pa-  
ter.

Atque Aedesius quidē, qui falso nomine appellabatur eius pater, eam propterea auersabatur & abhorrebat. Ea autem Deum cælestè colens supra omnia, eos, qui pro pietate torquebantur & interficiebantur, valdè venerabatur, & cordis proposito eorum miserens, vnā cum eis dolebat, & vnā patiebatur. Oportebat autem deinceps ipsam quoque sicut verbis & cogitatione, ita etiam factis Christū glorificare. Oportebat

tebat fidem quoque eius tentari & probari? & cum proba apparuisset, simul cum regni filijs commiseri. Etenim quæ sicut granum sinapis caelestem sementem suscepit anima, non patitur non in magnam augeri altitudinem, adeo ut caelestes quoque virtutes in ea habitent. Olybrio ergo, qui tunc erat Præses Orientis, viro audaci, crudeli & cædem spiranti traditur hæc beatissima adolescens, ut tentaretur. Non enim pijs & bonis, sed impijs & malis filijs diaboli, filij Dei omninò traditi & accensi, & per tolerantiam vincentes aduersarium, sic in exultatione, quæ dici non potest, & gloria, patri caelesti offeruntur. Hæc ergo pulchra virgo Marina, à partibus Asiæ Antiochiam versùs contendente Olybrio, ab eo in transitu conspecta (contigerat enim, ut tunc exiret beata ad gregem paternum adspiciendum) cum eximia sua pulchritudine eum obtupefecisset & fauciasset, statim capta fuit à parricidæ manibus. Simulatque enim eam adspexit sæuus ille Præses, eam vxorem ducere habuit in animo. Cum autè eam propè stitisset, nomen & conditionem eius & religionē sciscitatus est. Ipsa verò cum Dominum nostrum Iesum Christum, ut sibi esset adiutor, liberator & redemptor inuocasset, aperto ore dicit; Nomine quidem mihi à parentibus imposito vocor Marina? cum sim autem nata ingenuis parentibus, gloriior me esse ancillā Domini mei & Dei & seruatoris Iesu Christi, qui fecit cælum & terram. Cum sic audisset Olybrius, & statim ex prima responsione puellæ esset admiratus prudentiam, & anxio fuisset animo, ut est consentaneum, denunciât sequentibus eum satellitibus, ut eam sibi seruantur honorificè.

Olybrius  
Præses eam  
vixit habere  
coniugem.

Postquàm ergo fuit intrâ ciuitatem Antiochenam, & dijs suis pro more sacrificauit, & laudes, ut mos est, in honorem victoriæ Imperatoris celebravit. Cum autè manè surrexisset, & tota ei assistente ciuitate in tribunali præfedisset, iubet sanctam sisti Marinam. Cum ea autem esset ingressa, & constanter staret in medio, ipse in eius vultum defixis oculis, & eius formæ venustate resolutis præcordijs, corde verò ab eum oblidente amore incensus & liquefactus, sic dixit Olybrius; Sciunt omnes dii, ô pulchra puella, scias autem tu quoque, me moueri misericordia tuæ teneræ ætatis, & tui delicati corporis. Quamobrem rogo te, mihi morem gere, & dijs sacrificare, meliusque tecum agatur, quàm cum omnibus tuis æqualibus. Pecuniarum enim & possessionū tibi immensæ accedent diuitiæ. Eris autem clarior & illustrior, quàm omnes scemina ciuitatis. Sancta autem Marina dixit; Ego, quæ didici Deo cæli vero & viuo, & vnigenito eius verbo rationalem cultum & sacrificium laudis in sancto spiritu perpetuò offerre, deos, quos non nō ui, neque placabo sacrificijs, cum sint inanimi & nullo sensu præditi, & quorum nihil intersit, honorentur ne, an contumelia afficiantur, neque quæ meo effectori debetur, adorationem rebus tribuam inanibus. Præses dixit; Rursus rogo te, Marina, mihi morem gere, & adora deos inuictos, hoc apertè sciens, quòd si meum audieris consiliū, eris mihi vxor honoranda & dilecta, & iam coram tota ciuitate te mihi accipiam coniugem, & ego quidem ero tibi in perpetuam laudem & lætitiā. Tu autem eris mihi in iugem spiritus recreationem, voluptatemque & delectationem. Quòd si non parueris, scias fore, ut in multas incidens afflictiones, igne & ferro consumaris.

Blanditur ei  
diaboli fili-  
us.

Constās re-  
sponsum S.  
Marinæ.

Dixit sancta martyr; Ne existimes, ô Præses, te meæ in Christum fidei rationem inflexurū, aut blanditijs emolliturū, ut te sequatur. Sum enim ancilla Domini mei Iesu Christi, qui pro me sustinuit voluntariā passionem & crucē. Si ergo ille pro me, omninò ego quoque pro ipso debeo mori. Nè putes ergo me esse minis perterrefaciendā. Adsum tibi ad omnia tormenta, supplicia & mortes, impauida & interrita. Habeo enim, qui me confirmet et roboret, et ignominia afficiam omnes tuas machinas.

Contemnit  
cruciatum  
omnes.

Tūc ira plenus Præses Olybrius, iubet sanctam virginē Marinā humili extēsam virgīs cædi immisericorditer. Cum eius autè corpus dilaniaretur, & sanguis quidē terrā rigaret, propter ipsam verò totus adspiciens illachrymaretur populus, digitaret autè præcor Marina, dijs sacrificare, & ne tantā perdas pulchritudinē inconsiderata persuasione, ipsa mansit firma, & minime cedens. Etenim cum oculos in cælum sustulisset, & mente Dominū contēplaretur, & rogaret, ut ei ferret auxiliū, æquè absq; villo sensu ferebat plagas, ac si alius pateretur. Deindè ad Præsidē conuersa, dicebat; Quæcunque à patre tuo diabolo tibi suggeruntur, in me fac quamprimū. Habeo enim Christū, qui me roborat et confirmat, neque timebo mala, quoniam ipse mecum est semper.

Cap. 5.  
Cæditur  
virgīs.

Non sentit  
plagas.

Cum itaque ira ebullisset Olybrius, ferreis eam laminis cœlusam, & clauis affixā, iubeat ferreis cædi fuscinis. Cum diū autè laniaretur, & flaccesceret pulchritudo corporis,

Cap. 6.  
Fuscinis la-  
niatur.

corporis,

corporis, auertit quidem ab ea faciem Olybrius, & vultum operuit chlamyde, nè videret: vix tandem verò tortores reprimens, iussit vt ea abduceretur in custodia. Cum illic ergò seorsum fuisset egregia illa martyr, mente quidem per preces à se excedens, & ad Deum erecta, clamabat; Domine Deus excelsorum, à cuius facie labant omnes calorū virtutes, & omnes principatus & potestates horrēt & cōtremiscunt, omnisq; creatā, quæ in te continetur, natura omnipotente tuo nutu alteratur, & tua voluntate recreatur & renouatur. Tu Domine altissime, respice è supercælesti tuo throno super me inutilem & indignam tuam ancillam, quoniam sum deiecto animo, & humiliata nimis: quandoquidem speravi in te, & ad te meipsam conieci, propter nāque nomen tuum sanctum & terribile hæc patior. Intuere, o sancte, attende mihi sapienter, & recrea hoc meum, quod effluxit, corpusculū, & renoua meam animam, eamq; tuere & conserua ad regnum tuum supercæleste: quoniam te adoro, & rogo tuam omnipotentem virtutem & potentiā, audensq; à te supplex petō. Da mihi Domine Deus meus, vt ipsis oculis possim videre inimicum meum, qui me ex alto oppugnat: & ostende mihi eius mala machinans & auersandum caput: & vt ipse à meis conculcetur pedibus, & vt tanquā lutum platearum comminuat & despicatur, præsta, o omnipotens, vt in me quoq; glorificetur sanctissimum & terribile nomen tuæ bonitatis & clementiæ in secula seculorum, Amen.

Cap. 7.  
Diabolus  
specie dra-  
conis ei ap-  
paret.

Hæc sancta martyre Marina orante in carcere, repentē fit magnus tremotus: & ecce ipse diabolus suscepta forma & specie terribilis draconis, qui colore quidem apparens varius & multiplex, multis autem, ijsq; seuis serpentibus per totum corpus cinctus & circumdatus: & corpore quidem edens execrādum sibilum, tetrum autem emittens odorem & intolerabilem, Sanctæ oculis adstitit. Celeriter autem eam circumcursans, maximum ei attulit timorem & perturbationem: vasto autem oris hiatus eam circumiens, existimabatur eam integram esse deuoraturus. Illa verò mente firma & stabilis, & vt quæ ad Deum omni ex parte intueretur, interrito & constanti animo precibus, quæ dici non possunt, & intensissimis cordis vociferationibus mente rapta ad altissimum, & simul signo Crucis signata, disruptum quidem vētrem draconis visa est videre ante suos oculos: illic autem animaduertit se exire integram & illæsam. Nam quæ eius vitam administrabat virtus sancti Spiritus, ei & inimici ostendit sauitiam, vt postulauerat, & præbuit, vt ab eo statim liberaretur & redimeretur.

Cap. 8.  
Visio S. Ma-  
rinae.

Præter opinionem ergò, quæ nulli culpæ erat affinis, martyr Christi Marina à sauo illo & pernicioso serpente liberata, videt magnam lucem refulsisse in custodia. Crux autem à terra in cælum vsque peruadens, ostendebatur, tanquā fons illius luminis: supra Crucem verò conspecta fuit alba columba, & tota pura, lucidos emittens splendores, Trinitatis, vt mihi videtur, mysterium apertè ostendente visione. Nam per lucem quidem erat ostendi apertè paternam gloriam: per Crucem autem, Crucifixum significari vnigenitum: per columbam verò, conspiciebatur sancti Spiritus diuinitas, quæ & ancillam Dei alloquebatur, & consolans animum addebat, dicens; Ave Marina, ratione prædita Dei columba, quòd vicisti malignum, & bono adhæcisti. Ave & lætare, & delectare ex toto corde tuo, filia supernæ Sion: quoniam venit dies, in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis, & intelligentem Dei requiem cum prudentibus ingressa, apud sponsum & regem tuum habitabis. Simul autē hæc de cælo eam alloquebatur, & caruncula renouabatur, & rore spiritus omninò curata, à plagis fuit omninò mundata. Maxima verò exultatione & lætitia beata repleta: Benedicam te, Domine, magna voce confitebatur: laudabo te, Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum, quòd fecisti mecum res admirabiles. Extollam te, Domine, & te laudabo, quòd mea miseriæ sis misertus, & me visitaueris, & meum corpus curaueris & animam, & me non tradideris in manus inimicorum: sed etiam defectoris & perniciosissimi draconis vastam speciem ostenderis ancillæ tuæ, & eum in chaos infinitum cum venenatis, qui eum sequebantur, serpentibus & dæmonijs, ad abyssos amandaueris, & eos in profundū inferorū damnaueris, & eorū terrorē, vt bonus Deus, procul à me abieceris. Et nunc spiritu lætans & exultans in Deo seruatore meo, rogo tuam summè bonā benignitatē, vt me digneris tua per laucarū regeneratione, & aqua sancti tui baptismatis: vt quomodò sancto tuo spiritu & sanguine decertationis, ita etiam aqua baptismatis expiata & consummata, digna fiam ingressu tuorū sanctorū. Quoniam tu solus verè sanctus, & in sanctis requiescens, & glorificatus simul cum Patre principio carente, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Rogat per  
aquā bap-  
tismatis re-  
nasci.

In

DE S. MARINA VIRGINE ET MARTYRE.

277

In his sancta virgine & martyre Marina per totam illā noctem exultante, & Deum glorificante, manē surgens Præses, & in tribunali ante totam ciuitatem & populum præsidens, iubet sacrā fisci virginem. Cū vidisset autem eam ad stare rotam sanam, & lato vultu Olybrius, & esset admiratus, sic dixit; Vides, o Marina, quemadmodum magni dii tui curam gerunt, qui tuæ miseri pulchritudinis, te sanam reddiderunt à tuis vulneribus? Aequum est ergo, vt tu quoque pro accepto beneficio referens gratias, eis sacrifices, & eorum, sicut tuus pater, constituta sacerdos, sacerdotio fungaris, & eos colas. Sancta Marina dixit; Mihi quidem fas non est nec honestum, vt vero relicto & viuo Deo, qui mortuos viuificat, deos colam, qui nō viuunt, & ijs sacrificem. Te autem maximè decuerit, fueritque sanctissimum, vt abstinens ab errore in rebus huiusmodi, verum Deum agnoscas, qui corporibus medetur & animis, & ei soli offeras sacrificia & cultus spirituales.

Tunc Præses iubet, vt ei nudata, lampadibus pectus vratur, & latera. Cū diū ergo vreretur, & supplex tacite preces emitteret ad Dominum nostrum Iesum Christum in corde suo, dolores facile sustinuit. Cū eam autem de ligno deposuisset, iussit magnum lebetem afferri in medium, & eum aqua repleri, & Marinam vincā in aquam immitti, vt in ipsa suffocaretur. Cū id autem celeritate maxima factum esset, sancta Martyr vincā, & in vas aquæ iniectā, exclamauit magna voce; Domine Iesu Christe, qui eduxisti vincōs in fortitudine, qui soluisti vincula mortis & inferorum, & eos, qui habitabant in sepulcris, excitasti tuæ potestatis nutu omnipotēti! Tu Domine altissime, adspice ad ancillam tuam, & rumpe vincula mea, & fiat mihi hæc aqua in vitam æternam, & in supplementum baptismatis à me desiderati, ad depositionem quidam veteris hominis, & qui corrumpitur secundum desideria deceptionis: indumentum verò & amictum noui, qui secundum Deum creatur in veritate & iustitia. Sic orans, iniectā est sancta illa adolescentula in vas illud plenum aqua. Cū primum autē ingressa fuit lebetem, eccē fit magnus terræ motus, & rursus prima columba coronam ore tenens, volauit ipsa hora super aquā, & ingens ignis columna, & Crux super eam, eadem qua prius figura apparuit beatæ. Et columba quidem cū terigisset sacrum caput Martyris, & repente sursum volasset, dedit super ipsam Crucem. Quæ etiam athletam placida voce est allocuta; Pax tibi, dicens, ancilla Dei. Nunc confide, caelestem accipiens coronam à manu altissimi. Simul autem atque hoc dixisset, ipsa quoque soluta à vinculis, & ex qua emergens, cum, quæ explicari non potest, exultatione spiritus diuinissimi magnificans laudabat Trinitatem, vt citra medium baptizata, & mirandum in modum ab ipsa illuminata.

Illic dicitur fuisse factum miraculum valde admirabile, mihi quidem & omnibus pijs valde credibile; nempe alas quidem suas expādisse, tanquam ijs, quæ fiebant, exultantem, diuinam illam columbam, conspectam super illam lucidam, quæ apparebat, Crucem. Cū in voce autem erupisset, apud sanctam martyrem, audientibus omnibus, sic fuisse locutam; Huc adsis nunc, o sponsa Christi Marina, in supernis mansionibus, & accepta corona incorruptionis, in dilectis Dei tabernaculis cum primogenitis filijs patris choros ducens & lætans, requiesce in seculum.

Hanc tanquā Dei vocē cū totus populus exaudiisset, & obstupuisset, statim Christiano crediderunt viri simul & mulieres in magna multitudine, & se ipsos quoque esse Christianos magna voce exclamauerunt, paratos verò se quoque esse mortem subire pro Christo. Erant autem virorum quidem, vt aiunt, ad quindecim millia, & multæ mulieres. Qui quidem omnes Christum esse verum Deum & regem confitentes, deos autem, & demones, & eos, qui ipsos colebāt, Imperatores aspernantes, & nihil facientes, neci fuere dediti. Totum enim, qui erat in eius potestate, exercitum in ipsos immittens Olybrius, omnes interfecit, tanquā oues ad occisionem se dantes propter fidem in Christum. Atque hi quidem sic suo sanguine baptizati & expiati, Deo offerebantur.

Hæc autem cū impius vidisset Olybrius, pronunciauit capitis sententiā in agnam Christi Marinam. Cū ea ergo abducta fuisset extra ciuitatem, in eo loco, in quo interempta fuerat ea, quæ dicta est, multitudo, vnus ex militibus apprhēso eius super humerali, & ense stricto; Extende, inquit, collum tuum, & tunc accipe à Deo tuo desideratum brauium victoria; sed memento (rogo te) mei serui tui, quādō fueris in regia cælorū. Reuerā enim vidi hodiè innumerabilem Angelorū Dei multitudinem, te in orbem circumsistentes, & tuam custodientes sanctitatem. Sancta autem dixit; Su-

A a stine,

Cap. 9.

Cap. 10.  
Vruntur  
pectus & la-  
tera eius.

Psal. 67.

Eph. 4.

Mergitur  
in aquam,  
& regene-  
ratur san-  
cto spiritu  
caput eius  
attingente.

Cap. 11.

Vox fit di-  
uinitus ad  
illam.

Multi inter-  
ficiuntur  
Christiani.

Cap. 12.

Oratio S.  
Marinae ad  
populum.

stine, o fili, parumpèr, vt adstantes parim alloquar, & precer? & sic implebis id, quod tibi fuit imperatum. Cœpit itaq; alloqui eos, qui aderant, Fratres, dicens, & amici, rogo vos, tanquam indigna altissimi ancilla, audite prudenter hanc meâ modicam verborum suasionem. Transcendentes ergo omnem creatam naturam eorum; quæ videtur, agnoscite patrem luminum; & vniuersorum creatorem & Deum. Agnoscite autem eius quoque vnigenitum Deum verbum, Dominum nostrum Iesum Christum, & sanctum & viuificum spiritum. Non est enim aliud nomen, in quo possit aliquis esse saluus. Neque est vllus alius Deus, nisi vnus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto consideratur, & adoratur in secula, Amen.

Cap. 13.

Hæc cum esset martyr locuta ijs, qui aderant, sustulit in cælum cordis oculos, & in gemitibus inenarrabilibus clamauit spiritu; Principij expers, immortalis, carens tempore, increate, qui non potes compræhendi, infinite, & qui non potes inuestigari, Domine Deus vniuersorum; & vniuersæ creatæ naturæ, tam quæ videtur, quam quæ intelligentia percipitur, opifex & administrator, & Saluator omnium, qui sperat in te, ago tibi gratias, quod me ad hanc horam deduxeris. Benedico tibi, quod appropinquaerim coronæ tuæ iustitiæ: laudo & celebroy tuam inenarrabilem benignitatem & clementiam, quod tibi visum sit me cooprare cum electis tuis filiis. Et nunc, Domine Deus misericordiæ, omnipotens, omnia intuens, adspice ad me miseram & abiectam, & exaudi meam deprecationem; & imple meas petitiones ad laudem & honorem & gloriam sanctissimi & adorandi tui nominis. Et nunc Domine Deus meus, omnibus, qui propter te mei corporis tabernaculum, quod pro te decertauit, sunt veneraturi, & omnibus, qui ædificabunt oratoriam domum in nomine ancillæ tuæ; & sacrificia spiritalia, oblationesque & preces tibi in ea offerent, & omnibus, qui ex fide describent martyrium meæ decertationis, legentque & meminerint nominis ancillæ tuæ; da eis, Domine sancte, bonorum amator, & animarum amice, remissionem peccatorum, propitiationem & misericordiam eis suppedita pro mensura eorum fidei; neque eos tangat vltra manus, non mala fames, non pestis execranda, non graue flagellum; neque eis eueniat alius immedicabilis animæ & corporis interitus. Omnibus autem, qui in fide & veritate domui meæ, aut nomini meo adhærebunt, & glorificationem & laudem tibi Domine offerent, & sacrificiū in memoriâ ancillæ tuæ; & per me salutem petent & misericordiam, largire eis, Domine, affluentem bonorum copiam; quoniam solus es bonus, & benignus, & dator omnium bonorum, in secula seculorum, Amen.

Preces eius  
sub morte,  
quibus li-  
quet quam  
sit gratum  
Deo sanctos  
inuocare,  
& in eorū  
memoriam  
ecclesiis ex-  
truere.

Cap. 14.  
Christus  
ei apparet.

Hæc ea apud se precante, ecce rursus factus est magnus terræ motus, adeo vt non pauci ex ijs, qui illic stabant, humi ceciderint; quinetiam ipse quoque miles, qui volebat ei caput amputare. Ipse autem Dominus cum multitudine sanctorum Angelorū exercitū, ita vt mente possit percipi, assistens. Bono animo esto, inquit, Marina, & non timere; quoniam exaudiui preces tuas, & quæcunque petisti, impleui, & ipportune implebo, sicut tu petisti. Et nunc ideo tibi apparui, vt te ad me terra recipiam. Tuque es beata, quod meministi peccantium, quodque coram me pura apparuisti, & apud me gratiam intenuisti. Quamobrè erit tua merces copiosa in caelis.

Capite ca-  
ditur.

Tunc beata Marina impleta gaudio & lætitiâ, conuersa dicit militi; Agedum fac deinceps frater, quod tibi est imperatum, vt mihi faceres. Ille autem correptus tremore, nolebat ensẽ in eam tollere. Ipsa verò eum adhortans, & ei animum addens, vix persuasit beatissima virgo, vt caput sibi amputaret.

Sic præclara virgo & martyr Marina, cum decertationis cursum pulchrè peregisset, legitimūque, & perfectum & admirabile subiisset martyrium, quomodo magno dedecore affectit inimicum, ita etiam insigniter Christum glorificauit. Cuius beatam & sanctam animam, per sanctos archangelos gloriose sublatam, supercaelestis & quæ intelligentia percipitur, Dei domus, quæ eam suscepit, habet intus pro nobis assidue orantem Christum Dominum nostrum. Quem decet gloria in secula seculorum,  
Amen.

COM.